



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

III. Ejus imagines ex illis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

ut
na-
xe-
, &
am
Se-
uit,
are
m,
est
ns
t;
lō
æ
it.
or
tu
A
n
-
n
a
n
-
s

moniis congerendis bibliothecas com-
pilem? Aristotelem præstantissimi in-
genii fuisse ambigit nemo; vitam non in-
tegerrimam egisse, affirmant multi; de
DEO non rectissimè sensisse, suspicantur
quidam. Legitur tamen libro *περὶ κόσμου*
apud Stobæum, appellasse Deum mundi
*κυβερνήτην, ἡνιόχον, κορυφαῖον, νόμον, ἡγε-
μόνα*: gubernatorem, aurigatorem, choragū,
legem, Imperatorem, qui immotus, citràque
ullum laborem regat omnia, & administret.
Ipsam sententiam ex ejus verbis, eodem
prorsus sensu expressam, reddo. *Quod
in navi est gubernator, auriga in curru, co-
rypheus in choro, lex in urbe, in exercitu
Imperator: id Deus in mundo est. Præter-
quam quod illis regere laboriosum est, mul-
tisque motus ac curarum: huic verò nec do-
lorem affert nec laborem, corporeæ omnis in-
firmitatis experti.*

III. *Ejus ima-
gines ex
illis.* Quid sublimius & magnificentius
de DEO, ejusque Providentia,
apud Philosophos Christianos
audiamus? Finge tibi mundum navigiū
instar esse, æstu fluctibusque temporum,

ac ventis mutationum perpetuarum agitari: ad clavum hujus navigii sedet intenta gubernando Providentia Numinis. Mundus quaternis anni tempestatibus, velut totidem rotis, insistens, & perpetuò nunc sursum nunc deorsum circumvolutus, exhibeat imaginem currus Ezechieli objecti: eo curru vehitur majestas DEI, aurigante ejus Providentiâ. Fac mundum esse chorum Musicum, partibus omnibus suis supremi opificis laudes cantantem, jam Lydio molliq̄ue sono, tum Dorico ac Martio, modò voce læta accelerare, modò lenta languidâq̄ue, & suspiriis singultibusq̄ue intercisa: harmoniæ artifex, choragûsque, & modulorum designator DEUS est. Esto mundus populosa urbs, civium, artium, negotiorum multimo: dâ varietate distincta: ejus æterna lex DEUS vetat quædam, alia imperat; deinde pro meritis vel castigat, vel muneratur. Dic mundum instar habere numerosissimi exercitus, cùm res omnes creatæ, quamvis inanimæ, eodem jure appellari possint militia mundi, quo astra Jeremias capite

capite 19. nominavit militiam cæli: eum exercitum armat, exarmátve, & in ordines suos cogit summus Imperator DEUS.

IV.
Et defini-
tiones ex
iisdem.

Philoni adeò placuerunt Aristotelicæ istæ imagines, ut ternas mutuatus suis de DEO scriptis inseruerit, binas libro de Abraham, tertiam libro de Monarchia. Nam ibi Deum nominat, τοῦ κόσμου ἡνιόχον καὶ κυβερνήτην, *Mundi aurigatorem & gubernatorem*: hîc ait, ex mundi motibus ordinatis DEUM rectorem intelligi, quomodò ex civitate benè composita agnosci sapientem magistratum. Sed Infidelium potiùs alterum audiamus Senecam. Quamquam alii Christianum fuisse velint: Christianè equidem loquitur, maximè ubi agit de Providentia Numinis, cui librum totum inscripsit, & sparsim plurima & significantissima operibus aliis intexuit. Aliquot solùm versus ad specimen ex libris Naturalium quæstionum transscribam. Sub primi libri initium inter multa de DEO præclara hæc habet. *Quid est Deus? Mens*

Universi.